

Q. H. 349,9.

x 231 6738

Π i  
1175

HISTORIAM  
PHILOSOPHICAM

ORACVLIS NOVI PRÆCIPVE FOE-  
DERIS EXPLICANDIS PERPERAM  
ACCOMMODARI  
ALIQVOT EORVM IN MEDIVM ADLATIS  
DEMONSTRANS

AD

ORATIONES

A QVIBVSDAM ALVMNIS  
SCHOLAE NOSTRAE  
CATHEDRALIS

QVAE

TEMPORE LOCOQVE INFRA INDICATIS  
HABEBVNTVR

BENEVOLE AVDIENDAS  
INVITAT

M. Io. GEORG. SCHVLZE  
EIVSDEM SCHOLAE RECTOR.

LITTERIS BOSSOEGELIANIS.

BIBLIOTHECA  
POMERANICA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

\* \* \*

**F**idem, nuper datam, nunc liberaturus, plura noui foederis oracula in medium adferam, eo quidem consilio, vt appareat, historiam philosophicam illis explicandis perperam fuisse adhibitam. Ac primo conuertor ad Luc. xvi. 22. vbi anima Lazari ab angelis in sinum Abrahae deportata fuisse dicitur. Quae verba videri poterant ex historia philosophica commode explicari posse, qua magistra, discimus, veteres philosophos, Pythagoraeos praecipue ac Platonicos, varia daemonum genera credidisse, atque in his vnum *ἀναγωγὸν* dictum, qui mentem ex corpore ad superiora, tamquam ad originem suam, deduceret. Qui enim in veterum sapientiae magistrorum scriptis non hospes plane est et peregrinus, illi obscurum aut ignotum esse non potest, quid illi, praecipue Plato et Pythagoras, eorumque sectatores, de descensu atque adscensu animarum docuerint. Sic enim putarunt, atque sic induxerunt animum, animas humanas diuinae essentiae esse particulam. Eas beatas, et ab omni cuiuscumque corporis contagione liberas, caelum possidere; quod si vero illas desiderium corporis intrandi ceperit, sensim paullatimque descendere, donec cum corporibus coniunctae, in illis, tamquam in carcere haerent, debitamque, quam sibi hac coniunctione contraxissent, pravae et corruptae indolis darent poenam. Neque enim in anima, sed in corpore peccandi libidinem sedem habere, credebant: quae sententia non poterat non consequi ex ea, qua statuebant, hominum animas diuinae essentiae esse partes, quam peccato inquinatam pronuntiaissent, si hominum animas nequitiae obnoxias reputassent. Vt vero animae humanae ex compage corporis, tamquam ex carcere, iterum euolarent, seque cum Deo, suo principio, coniungerent, daemone illis *ἀναγωγὸν* tribuebant, a quo in quietas bea-

to.

torum sedes deportarentur. Sed qui ea, quae de anima Lazari, per angelos in caelum delata, dicuntur, ex hoc capite historiae philosophicae exponere vellet, ille se in maximos indueret errores. Primo enim ea, quae philosophi de daemonibus tradiderunt, ab illis, quae diuiniore litterae de angelis nos condocent, longissime sunt remota. Deinde error in homine christiano non ferendus est, statuere, animas hominum diuinae essentiae esse particulas. Hoc enim posito, illud consequitur, vt essentia diuina possit diuidi, ideoque ex materia sit composita: quod qui sibi persuadet, tam in vitio est, quam si dicat, nullum existere Deum. Denique quis, Christi doctrinam professus, in eam ingredietur sententiam, vt existimet, malum non in anima, sed in corpore, sedem suam habere, nec corpus aequae atque animam humanae essentiae esse partem? Ex quibus omnibus apparet, angelos, animam Lazari in sinum Abrahae deportantes, a daemone Platonis *ἀναγωγῶν* prorsus esse alienos. Quod si autem loquendi formula, a Luca adhibita, illustrari debet; melius id fieri non potest, quam ex consuetudine loquendi Rabbinarum, rationem aeternae beatitudinis iisdem verbis describentium: quorum testimonia, praeter LIGHTFOOTVM, nobiscum communicauit celeberrimus \*SCHOETGENIVS.

\* in horis Hebr. et Talmud. p. 301.

Constat inter omnes, qui vel per transennam diuiniore inspexerunt litteras, Ioanni \* familiare esse, secundam Deitatis personam, nondum corporatam et carne tectam, appellare *λόγον*. Quaerentibus autem, vnde hoc vocabulum Ioannes petierit, respondere non dubitat IO. CLERICVS, \*\* illud sacrum hunc scriptorem ex Platoniorum et sigillatim Philonis scriptis mutuatum esse, ita tamen, vt illius notionem emendaret, et ad veritatem doctrinae christianaecommodaret. Sed quis est, qui sibi persuadeat, Ioannem vmquam legisse Philonis scripta? Antequam a Christo ad sacrum apo-

stoli munus vocatus fuit, obstitit piscatoria simplicitas, labor-  
 que assiduus, quo minus legendis huius philosophi libris va-  
 caret. Multo minus hoc fuit factum ab eo postea, quam a  
 seruatore optimo ad sanctissimum hoc munus obeundum fu-  
 it inuitatus: siquidem illo magistro tum fuit vsus, ex cuius  
 ore melius, quam ex impuris philosophi lacunis, doctrinam  
 salutarem haurire poterat. Propius itaque ad veritatem ac-  
 cedunt illi, qui cum \*\*\* FLACIO existimant, Ioannem ap-  
 pellationem  $\Gamma\epsilon\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$  ex paraphrasibus Chaldaïcis desum-  
 fuisse, quippe quae innumeris fere locis pro voce  $\Gamma\omicron\mu\mu$  vo-  
 cem  $\Gamma\omicron\mu\mu$  adhibuerint. Atque hanc nominis illius deriuat-  
 tionem conuenire cum instituto Ioannis, quippe cui propo-  
 situm fuerit, contra Ebionem et Cerinthum, diuinitatem ser-  
 uatoris optimi demonstrare. Quoniam tamen adfirmari vix  
 poterit, Chaldaeos illos diuinarum litterarum interpretes vo-  
 cem hanc excogitasse: consultius erit dicere, ex antiqui foe-  
 deris tabulis hanc appellationem a Ioanne esse depromptam,  
 quippe in quibus sigillatim Ps. xxxiii. 6. verbo domini caeli fir-  
 mati esse dicuntur, et Ps. cvii. 20. Deus misisse verbum suum  
 et Isrâelitas sanasse perhibetur. Quoquo autem modo se res  
 habet; nulla profecto nos vrget necessitas, vt hanc appella-  
 tionem ex scriptis paganis derivare velimus. Sufficit nobis,  
 quod Ioannes omnia, quae scripsit, a spiritu sanctiore accepe-  
 rit, atque adeo ipsa  $\Gamma\epsilon\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$  vox diuinam habeat originem.

\* In primis Evang. I. I. epist. priore I. I.

\*\* In paraphrasi et animaduers. in XVIII. priora commata Ioannis, et in  
 epist. criticis n. VIII.

\*\*\* In clave script. S. libr. I. in voce VERBUM p. 1278.

Pestilentior adhuc illorum est opinio, qui \* existimant,  
 doctrinam christiani coetus primariam, de diuinitate Chri-  
 sti et sacro sancta Trinitate, ex philosophia Platonica esse de-  
 ducendam. Sed stultus sit necesse est, qui non videat, quan-  
 ta sit diversitas inter trinitatem Platoniam et christianam.  
 Coetus enim christianus admittit unum Deum; Platonici sta-  
 tuerunt tres deos: nos credimus, inducti auctoritate scri-  
 ptu-

pturae sacrae, in vnica essentia divina tres distinctas personas, patrem, filium et spiritum sanctum, quae eiusdem sint essentiae, potentiae ac dignitatis; Platonici contra docebant, tres Dei hypostasies ita esse diversas, vt altera alteram dignitate superet. Quae quum ita sint; quis ita animum obfirmare poterit, vt, reclamante veritate, animum inducat ad existimandum, sacrosanctae Trinitatis mysterium ex Platoniorum scholis esse repetendum?

\* CHRISTOPH. SANDIUS in *interpret. paradox.* p. 131. auctor libri *le Platonisme dévoilé*, aliique Arii et Socini sectatores

Quid? quod nonnulli eorum, qui verbum ἀποκαταστάσεως Act. III. 21. ita interpretantur, vt eo significetur, fore, vt angeli etiam mali et ad inferos damnati homines in integrum restituantur, contendunt, vocem illam ex Stoicorum philosophia depromptam esse, apud quos de magnis mundi reuolutionibus multus sit sermo; quo sensu eadem vtratur NVMENIUS apud EVSEBIUM *praepar. euang.* lib. xv. cap. xix. Et constat quidem, Stoicos docuisse, \*\* factis certorum annorum reuolutionibus, exustionem mundi futuram, qua omnia in pristinam colliquescerent essentiam, Deusque et materia vna fierent massa. Ex hac vero massa mundum rursus emeriturum, omniaque, quae illo contineantur, homines in primis, restitutum iri. Neque semel hoc futurum, sed identidem, vt mundus, facta certorum annorum decursione, oriatur, intereat et restituetur. Sed profanum retulerit animum, necesse est, ex lectione historiae philosophicae ille, qui, ad eius praescriptum, divini illius dicti sensum exponendum existimat. Nostri enim theologi ex verborum Petri connexionem recte colligunt, voce illa nihil aliud significari, quam die mundi novissimo futurum, vt ea restituantur, quae divini vates restitutum iri praedixerint, Deo sua gloria, animabus corpora, hominibusque ipsis, quibus, morte sibi ereptis, aegerrime caruerint.

\* BVDDEVS in *instit. theol. dogm.* lib. II. cap. III. p. 495.

\*\* IAC. THOMASIVS de exustione mundi Stoica *dissert.* X. p. 156.

At-

Atque ex his iam apparere potest, eos gravissime alucinari, qui verbis Petri epistolae posterioris cap. III. 10. exponendis lucem adferre putant exustionem mundi Stoicam. His enim persuasum erat, mundum exustum iri, non semel, sed identidem, interiectis certorum annorum intervallis; diviniores vero litterae non nisi semel hanc rerum uniuersitatem infestis flammis deletum iri, nos condocent.

Neque difficile est iudicatu, vtrum \* IAC. VINDETVS *de vita functorum statu* sect. III. p. 29. recte senserit, quum putauit, Iacobum apostolum in epist. c. III. com. 6. per *ἑοχὸν τῆς γενέσεως* sacrum illum, quem somniarunt Stoici, principiorum primorum circulum intellexisse. Mihi quidem videntur illi rectius sentire, qui cum celeb. \*\* SCHOETGENIO verba Iacobi, ex consuetudine loquendi inter magistros Iudaeorum recepta, exponunt, ita vt illis significetur tota vita humana, quae per omnia saecula, inde a primo mundi ortu, maximum sane damnum a linguis peruerfis sibi inferri sensit.

\* Citante IAC. BRVCKERO in *otio Vindel.* p. 96.

\*\* in horis Hebraicis et Talmud. p. 1024.

Sunt denique, qui tres hominis partes statuentes, sententiae suae praesidia ex historia perunt philosophica, ad cuius praescriptum exponunt dictum illud Paullinum 1. Thes. v. 23. in quo trium hominis partium mentio fieri videtur. Sed in eo fallunt egregie. Nami quod ad philosophiam Iudaicam attinet, statuerunt quidem Cabbalistsae, in homine dari animam, spiritum et animam rationalem; quum vero hisce vocibus non tres substantias, sed tres vnius substantiae facultates significare voluerint; haec sane doctrina ad eorum opinionem, qui hominem tribus constare partibus arbitrantur, accommodari non potest. Rectius igitur eorum opinioni patrocinari videtur PLATO, qui, teste \* CICERONE, *triplicem finxit animam: cuius principatum, id est rationem, in capite, sicut in arce posuit: et duas partes separare voluit, iram et cupiditatem, quas locis discl-*  
*fit;*

*fit; iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit.* Cum PLA-  
 TONE, in tribus humanae naturae partibus constituendis,  
 congruunt Stoici, quorum facile princeps\*\* M. ANTONIVS  
 philosophus: *Tria sunt, inquit, ex quibus constas, corpus, anima, mens.*  
 Quid? quod ARISTOTELES, quum inter animam et mentem di-  
 scrimen posuerit, homini tres partes tribuere videtur. Sed  
 tantum abest, vt haec antiquorum philosophorum placita ver-  
 bis Paulli, in quibus trium hominis partium mentionem fe-  
 cisse videtur, lucem adferant, vt potius, errorum quippe ple-  
 nissima, caliginem illis offundant. PLATO enim statuit,  
 mentem, siue tertiam partem hominis ex Deo emanasse; cui  
 accessere Stoici, docentes, animam partem esse Dei et totius  
 mundi. Quae profecto scita ita comparata sunt, vt cum diuinis  
 dictis consistere non possint. Forsan autem ARISTOTELES  
 saniora docuit? ille vero, quum hominem et anima et mente  
 instructum esse, tradit, per mentem *intellectum agentem* intelli-  
 git, qui omnibus, quos terrarum orbis ferat, hominibus idem  
 praestet officium, quod sol luce sua ad videndum. Quae quum  
 ita sint, quis credat, illa philosophorum veterum deliramen-  
 ta aliquid adiuventi adferre ad locum illi apostoli Paulli,  
 pro eo ac par est, explicandum. Paullus enim eandem ani-  
 mam spiritus nomine appellat, per loquendi rationem, quam  
*ἐνεργησιον* nominant, non secus ac Maria\*\*\* adfirmat, ani-  
 mam suam magnificare Dominum, et spiritum suum exultare in Deo, salutaris  
 suo. Quamquam nec illi errant, qui dicunt, per spiritum hoc  
 loco intelligi dona a spiritu sancto animae collata: siquidem  
 Christus ipse hoc sensu vocabulum spiritus adhibuit, quum  
 dixit: \*\*\*\* *omne, natum ex spiritu, esse spiritum.*

\* Tusc. quaest. lib. I. cap. 10.

\*\* lib. XII. §. 3.

\*\*\* Luc. I. 46.

\*\*\*\* Ioan. III. 6.

Quorsum autem haec? vt appareat, verissimum esse id,  
 quod initio dixi, historiam philosophicam perperam accom-  
 modari ad interpretanda noui praecipue foederis oracula ab

iis,

QX H. 1175

is, qui id agunt, vt doctrinae suae copiam hac' ratione ostentent. Neque tamen illi faciunt, quod indignum personis magistrorum iuuenturis scholasticae iure haberi possit, qui ex lectione profanorum auctorum occasionem arripiunt de rebus sacris disserendi. Quorum exemplum sequutus, ex dialogo CICERONIS de amicitia tria argumenta, sacris nostris accommodata, depromsi, de quibus, auctor fui tribus scholae nostrae alumnis, vt verba facerent prius, quam discessionem a nobis faciuri, omnibus, bene praeclareque de se meritis, gratias agerent, eosque bene valere iuberent. Prohibet itaque in medium

GOTTLIEB FRIEDEL, Osterfelda Misnicus, et, pro sua facundia, demonstrabit, *veri nominis christianos homines amicitiam cum improbis et sceleratis hominibus contrahere non debere.* Illum qui sequetur

LVDOLFVS HENRICVS HERRMANN, Numb. Misn. id sedulo dabit operam, vt confirmet, *illum optime sibi consulere, qui cum Deo ipso amicitiam contrahat.* Tertius, qui suggestum conscendet scholasticum

IO. FRIDERICVS NEVNHOEFER, Numb. Misn.

id ager, vt auditoribus persuadeat, *christianis hominibus, perinde ac veris amicis id sedulo esse agendum, vt mutuis se adiurationibus obiurationibusque, ad strenue emetiendum virtutis stadium, excitent.* Qui optimae spei ac indolis iuuenes quemadmodum eodem adhuc sancti sunt munere, in templo cathedrali, stans per diem horas, hymnos sacros et odas Dauidicas decantantes: ita singuli partes suas expleuerunt ita, vt, cui eorum palma tribuenda sit, iudicatu sit difficillimum. Bene profecto praeclareque se gerendo id consecuti sunt, vt praeceptores aequae ac condiscipuli fausta quaeuis ac felicia illis abeuntibus apprecentur. Ac horum quidem nomine, pro illorum salute, vota nuncupabit

IO. ANDREAS ADLER, Numburg. Misnic.


quum monstrauerit, *veram amicitiam nulla locorum longinquitate tolli et imminui posse.* Atque vt huic actui valedictorio SVMME REVERENDVS ac GENEROSISSIMVS DOMINVS, qui salutem scholae nostrae sibi curae sinit esse cordique, CAETERIQUE SVMME REVERENDI CAPITVLI NVMBVURGENSIS ADSESSORES, ORATORES SACRI, et quicumque litteras et litteratos amant, cras hora ante meridiem VIII. interesse velint, hoc est, quod, pro suo quemque loco ac ordine, demisse, officiose ac peramanter oro. p. p. Numburgi die V. mensis Maii

anno a nato seruatoris c19 19 66 x xxx.

\* \* \*

MC





Q. H. 349,9.

X 231 6738

Π i  
1175

HISTORIAM  
PHILOSOPHICAM

ORACVLIS NOVI PRAECIPVE FOE-  
DERIS EXPLICANDIS PERPERAM  
ACCOMMODARI  
ALIQVOT EORVM IN MEDIVM ADLATIS  
DEMONSTRANS  
AD

ORATIONES

A QVIBVSDAM ALVMNIS  
SCHOLAE NOSTRAE  
CATHEDRALIS

QVAE

TEMPORE LOCOQVE INFRA INDICATIS  
HABEBVNTVR

BENEVOLE AVDIENDAS  
INVITAT

M. IO. GEORG. SCHVLZE  
EIVSDEM SCHOLAE RECTOR.

LITTERIS BOSSOEGELIANIS.

BIBLIOTHECA  
PONDICAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)